Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25958
Copyright: Admont, Benediktinerstift

superne dignationis gratiam. Fit etiam neptalym quod interpretatur
latitudo. ex angustiis ad omnia que presens habet mundus. ad
eum solum quem mente conspicatur. totis cordis animeque medullis
magis magisque dilatatur. Unde sequitur. Neptalym ceruus emis
sus. et dans eloquia pulchritudinis. Ceruus profecto fit. quando
amabiles et desiderabiles orationis et contemplationis saltus dare
incipit. Nam non precedat saltus orationis. debilis ualde fit saltus
contemplationis. Ergo dum a saltu pure orationis ad saltum for
tissimum. saltum scilicet contemplationis transierit. non solum ceruus. sed cum
dulci additamento ceruus emissus digne nominatur. quia nec
a carne. nec a mundo. nec ab ipso etiam diabolo teneri ualet.
quin super cuncta infra iacentia eleuatus. ad eum quem pre omnibus et
super omnia colit et diligit. quem solum esurit atque sitit iugiter emit
tatur. Hunc profecto si quando ad edificationem proximorum reuocari e
xigerit. dare eloquia pulchritudinis. profert inquam talem potest
doctrinam. que pulchrum faciat cor hominis. Sicque demum fit. ut
et Ioseph qui interpretatur augmentator. merito dici possit. Sic sic unus
perfecte spiritalis homo quina quinque fratrum nomina in se mystice sus
cipit. quando dan populum suum sicut diximus sollicite iudicando.
gad contra latentes temptationes fortiter se accingendo. aser idem
beatus in uita sua. neptalym dilatatus in dei dilectione. ioseph
augmentatus in proximorum dilectione uel edificatione eo usque pro
ficit. quod uerus ueri iacob filius dici. et secundum congruam subiecte lit
tere significationem paternam benedictionem ab eo meretur benedi
ci. SEQUITUR. Filius accrescens ioseph. filius accrescens. et decorus as
pectu. Possunt primum hec uerba specialiter ad specialem et unige
nitum eterni patris filium dignissime referri. qui ioseph iure nomina
tur. quia ipse est creator noster et recreator. ipse totius salutis nostre auc
tor est et augmentator. Qui cum deus et homo sit. non semel sed bis filius
accrescens. filius accrescens. prophetali presagio a beato patriarcha ap